

jumentis farcinariis permultis, quæ supellectilem magni pretii ad Palitiam reliquosque duces afferebant, cumque mulierum turba, quæ agmen sequebantur. Rangonius equitem, qui eum ceperat, a se captivum factum, in equi sui postremo dorso Patavium in reditu ingrediens adduxit. erat autem hora noctis fere tertia, ut multis luminibus allatis utrumque agmen victores simul & victi non ingratum spectaculum Paulo legato, qui in porta aderat, & oppidanis dederint.

Grittum legatum ob adversam valetudinem Senatu permittente Patavio sui ad urbem detulerunt: & Bondimerium e Fossa Clodia eadem de causa item sui. Lucio mortuo dum Balio ad exercitum venit, Bernardinum Braccium, egregia fide hominem, pro præfecto copiarum reipublicæ Senatus esse iussit: quæ res præfectis reliquis exercituique omni gratissima sane fuit. eique in præsentia datæ libræ auri decem in stipendium, quinque autem in menses singulos ad victum institutæ. Meleagro etiam Foroliviensi, quoad Joannes Græcus, qui longinquo morbo detinebatur, convalesceret, ejus equites regendi dati una cum aliis levioribus quinquaginta qui Lucii fuerant: ex centum autem gravis armaturæ, qui fuerant ejusdem Lucii, Guido Rangonio septuagintaquinque; reliqui Thadeo Vulpio distributi. Atque inter hæc Theodorus Paleologus, homo reipublicæ amantissimus, Zacyntho rediens equos quinquaginta levissimos ad urbem secum duxit, cujus ab insulæ prætura, Joannes Barbadicus triumvir ad magistratuum provincialium furta criminaque cognoscenda, Hieronymum Bernardum ejecerat, pecuniis omnibus, quas nullo jure abstulerat, restitutis, ipso ad urbem se fisti jussu; Stephanoque Capello proprætore in insula instituto: eam enim illi potestatem Decemviri dederant. Hostes cum frequentes populationes in Alpibus fecissent, Belunium cepissent, castella multa & vicos diripuissent: cum carris quamplurimis, qui naviculas ad pontes sustinendos binas singuli, quique ipsos pontes disclusos atque in partes plurimas sejunctos ferebant, Plavim flumen ver-

sus